parente contingunt eum, de cujus hereditate nunc agitur: qua perſona veniunt, & † ſine defuncta nunc perſona parentibus, & cum proximis gradu aſcendentibus. Et quidem prædicti fratris filius, & † tertio gradu ſit, præfertur fratribus defuncti, qui ex uno tantum parente cognati ſunt. In hac ſucceſſione omnis differentia ſexus, & emancipationis ceſſat.

In AUTHENT. de hered. ab inteſt. §. his autem non. & §. illud. col. 9. tit. 1. Novell. 118. cap. 3.

POſt fratres autem ex utroque parente, & eorum filios admittuntur ex uno ² latere fratres, ſororeſve: cum quibus & filii eorum, ſi qui eis jam deceſſerint. † Hi autem fratrum filii cum pares ſint defunctis fratribus, præferuntur ⁴ proculdubio ejuſdem defuncti patruis, & aliis ſimilibus: & in his ſucceſſionibus omnino ceſſat ſexus, & agnationis ratio.

In AUTHENT. de hered. ab inteſt. §. Si vero neque. col. 9. tit. 1. Novell. 118. cap. 3.

POſt fratres, fratrumve filios vocantur quicunque gradu ſunt proximiores ⁵: ut pares ⁶ in gradu pariter admittantur, ſublata differentia maſculorum, & ⁷ fœminarum. Sola namque cognatio ſpectatur in talibus. Fiet autem diviſio ⁸ in capita ⁹ & non in ſtirpes ¹⁰.

Si teſtamentum non valet.

4. Impp. DIOCLETIANUS & MAXIMIANUS AA. & CC. Cæcilio.

SI aut nullum ¹¹ teſtamentum nepos patrui tui ordinavit, aut intra quatuordecim annos conſtitutus fecit, & agnationis jure ſucceſſio ejus tibi delata eſt: etiam citra ¹² bonorum poſſeſſionis ſubſidium legitimo jure ſubnixus es. PP. Idib. Jul. ipſis AA. IV. & III. CONSS. 290.

De agnatione, & cognatione.

5. Iidem AA. & CC. Cupillæ.

AD inteſtati ſucceſſionem agnationis ¹³ quam proximitatis jure venientes haberi potiores, certum eſt. Supp. 16. Kal. Jul. *Sirmii*, AA. CONSS.

Si ſuus heres abſtineat, vel repudiet.

6. Iidem AA. & CC. Claudianæ.

DEfunctis, ſuis extantibus heredibus, & abſtinentibus, vel repudiantibus hereditatem, frater ¹⁴ jure conſanguinitatis ſuccedere poteſt. Suppoſ. Kal. Januar. AA. CONSS.

De patruo, & matertera.

7. Iidem AA. & CC. Amiano.

PAtruo, ac matertera tertio conſtitutis gradu non pariter inteſtati ſucceſſio defertur, ſed patris ¹⁵ frater agnationis jure ſorori matris anteponitur. S. 17. Kal. Mart. *Sirmii*, CC. CONSS.

De defunctis apud hoſtes.

8. Iidem AA. & CC. Silano.

SI his, de quorum ſucceſſione agitur, apud ¹⁶ hoſtes defunctis, ſecundum legis Corneliæ beneficium jure agnationis eorum hereditate, vel petita bonorum poſſeſſione ſucceſſiſti; eorum ſubſtantiam vindicare non prohiberis. S. Non. Jul. *Sirmii*, AA. CONSS.

De ſorore, & avia.

9. Iidem AA. & CC. Demagoræ.

IN ſucceſſione inteſtatæ, ſororem ¹⁷ quam aviam, vel avum maternum, haberi potiorem non ambigitur. S. 6. Kal. Jul. *Nicomediæ*, CC. CONSS.

De tutore non-petito.

10. Impp. THEOD. & VALENT. AA. ad Florentium P. P.

SCiant, qui ad ſucceſſionem vocantur pupilli mortui, ſi defuncto ejus patre, tutorem ¹⁸ ei ſecundum legem non petierint intra annum, omnem eis, ſive ab inteſtato, ſive jure ſubſtitutionis, ſucceſſionem ejus, ſi impubes moritur, denegandam eſſe. Dat. 5. Id. Jul. *Conſtantinop.* THEODOSIO A. XVII. & FESTO CONS. 439.

De emancipatis.

11. Imp. ANASTASIUS A. Conſtantino P. P.

SI ab eo, qui ex ¹⁹ ſacro reſcripto ſecundum noſtram conſtitutionem ²⁰ fieri poſtulavit emancipationem liberorum, petitum fuerit, quatenus ei, qui emancipatur, jura legitima per emancipationem minime extinguantur: eadem jura tam emancipati vel emancipatæ contra perſonas alias hoc modo ſibi conjunctas, quam earundem perſonarum in ipſum vel ipſam in hereditatibus vel in ſucceſſionibus & tutelis, necnon cæteris ſerventur intacta ²²: collationibus tamen ab his ſecundum ea quæ ſuper emancipatis ſtatuta ſunt, quoties ſibi caſus emerſerit, utpote peracta emancipatione, faciendis. Dat. 15. Kal. Auguſt. PROBO & AVIENO JUN. CONSS. 503.

De nato ex majore quinquagenaria.

12. Imp. JUSTINIANUS A. Joanni P. P.

SI major quinquagenaria ²⁴ partum ediderit, ſi ²⁵ debet hujuſmodi ſoboles ſuo patri ſuccedere, & hereditatem ejus nanciſci, a Cæſariana ²⁶ advocatione interrogati fuimus. Et ſancimus, licet mulier ²⁷ hujuſmodi partus inveniatur, & raro ²⁸ contingat; nihil tamen eorum, quæ probabiliter ²⁹ a natura noſcuntur eſſe producta, refutari: ſed omne jus quod ex quacunque lege liberis præſtitum eſt, hoc manere atque immutilatum hujuſmodi ³⁰ filiis, vel filiabus ſervari in omnibus ſucceſſionibus: ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato, & ſummatim, non abſimiles aliis fiant, quos ſimiles natura effecit: maxime cum & anteriore ³¹ noſtra lege hujuſmodi nuptias permiſimus, impares eas videri minime concedentes. Dat. 9. Kal. Nov. *Conſtantinop.* poſt conſulatum LAMPADII & ORESTIS VV. CC. Anno ſecundo. 532.

Qui ſuccedunt emancipatis.

13. Idem A. Joanni P. P.

DE emancipatis filiis, qui [ex] ſacro ³³ reſcripto patribus imperium hoc a ſuis genitoribus meruerunt, dubitatum eſt. §. 1. Cum [enim] Anaſtaſiana lex ³⁴ jura fratribus legitima ſervavit, ſi quis ex his ſine liberis deceſſerit, utrumne ad fratrem, vel ad ſororem ejus ſucceſſio devolvatur, an ad ſuperſtitem patrem, [dubitabatur,] hujuſmodi dubitationem compendioſo reſponſo duximus eſſe finiendam. Ideoque ſancimus ad ſimilitudinem maternarum rerum aliarumque, de quibus jam a nobis ³⁵ poſita eſt lex, etiam hujuſmodi hereditatem jure quidem dominii ad fratres, vel ſorores in ſolidum pervenire, uſumfructum ³⁶ autem [ejus] patri totum ³⁷, quem priorem ſervaverit, ſive ſecundas migraverit nuptias, adquiri: ſive per ſacrum oraculum emancipatio procedat, ſive alio legitimo modo a ſacris ³⁸ paternis fuerit abſolutus. §. 2. Cum enim & pater utitur uſufructu, & votum ³⁹ ejus eſt, ad alios filios ſuos pervenire: ea propter cum ex lege Anaſtaſiana in aliorum articulum fratribus proſpectum eſt, nunc a nobis in hac ſpecie plenius [eis] conſulatur, ut ſi uſusfructus ⁴⁰, fratres autem ſoli habeant dominium rerum relictarum: exceptis maternis ⁴¹ rebus, in quibus ſi non ex eadem matre fratres vel ſorores ſint, ad eos ſolos ex eadem matre fratres vel ſorores dominium earum pervenire: quod ſi tales fratres vel ſorores non ſuperſint, tunc ad ſimilitudinem aliarum rerum ad omnes fratres, vel ſorores fraternitatem dominium earum cedere, ut ſit aperiiſſimus in omnibus tractatus, & non per differentiam perſonarum, vel rerum vacillare debeat. Dat. Kal. Novemb. *Conſtantinop.* poſt conſulatum LAMPADII & ORESTIS VV. CC. Anno ſecundo. 532.

De differentia inter maſculos, & fœminas ſublata. De filiis ſororis.

14. Idem A. Joanni P. P.

LEge ⁴³ duodecim ⁴⁴ tabularum bene humano generi proſpectum eſt, quæ unam conſonantiam tam in maribus quam in fœminis

1 Id eſt, ſive non concurrant aſcendentibus, ſive concurrant. 2 Fratris ex utroque parente mihi conjuncti filius, fratri meo uterino, vel paterno tantum meam evincit hereditatem, id eſt, Fratri uterino, vel paterno potior eſt, quod ad jus mihi ſuccedendi, ut hoc caſu qui tertio gradu fuerit, eo ſit potior qui ſecundo fuerit. Tanta vis eſt repræſentationis, ut cujus parens uterinum mihi fratrem ſemel anteceſſerit, eundem filius antecedat. Non abſimiliter plerisque in locis fieri ſolet inter nobiles præſertim illuſtres, apud quos primogenito natus in linea collaterali, patruos etiam proximiores defuncto excludit. 3 Poſt liberos, poſt aſcendentes, poſt fratres ex utroque latere conjunctos, poſt nepotes ex fratre utroque latere conjunctos, fratres ſororeſve ex uno tantum parente fratris ſororiſve uterinorum, vel ex patre tantum liberi, ſuccedunt, ſuntque potiores patruis defuncti, quod & jure fit. Deſcendit enim ſucceſſio magis quam aſcendit. 4 Nepos ex fratre meo licet uterino tantum, vel paterno tantum, mihi ſuccedit, & patruo meo præfertur, eumque excludit. 5 Ut ſunt patrui, amitæ, materteræ, & ab his patrueles, conſobrini, amitini: Exempli gratia, ſi mihi patruus ſit Titius, patruelis vero Mævius, patruus patruele potior, nec immerito, cum patruus patruele ſit proximior. Patrui enim filius, patruelis, nec ad patruelem, niſi per patruum pervenitur. 6 Gradu pares, jure pares. 7 Id eſt, agnationis, & cognationis. 8 Plures patrui, avunculi, amitæ, materteræ, patrueles, amitini, conſobrini, patrui magni, & deinceps inter ſe vel alii cum aliis concurrentes ſuccedunt in capita non in ſtirpes. 9 Ut quot ſunt perſonæ, tot ſint portiones. 10 *l. 1. ff. de ſuis.* 11 Paria ſunt, nullum, & inutile. 12 Hereditas agnati jure civili delata adiri poteſt ſine bonorum poſſeſſione. adde *l. 3. ȝ. ad SC. Orphitian. l. 3. ff. unde legit.* 13 Hodie adgnati non ſunt potiores, *Authent. poſt fratres fratrumque filios. ſupr. eod. Nov.* 118. *c.* 3. 4. 14 Filiis ſe abſtinentibus vel repudiantibus fratres ſuccedunt. 15 Patruus anteponitur materteræ, *ut hic.* hodie non anteponitur. vide *d. Nov.* 118. 16 Adgnati veniunt ad ſucceſſionem defuncti apud hoſtes, beneficio legis Corneliæ. adde *l. 12. ff. qui teſtam.* 17 Hodie ſorores non anteponuntur avo & aviæ maternis. *Nov.* 118. *c.* 2. *Auth. defuncto. ſupr. ad SC. Tertyll.* 18 Pœna hæc eſt cognati intra annum cognato pupillo tutorem non petentis, ut ei impuberi morienti ſive ab inteſtato, ſive jure ſubſtitutionis non ſuccedat. *Synopſ. Baſil.* 45. *tit.* 1. *c.* 42. 5. Harmen. 8. §. 92. ſumptum autem hoc eſt ex Nov. Theodoſ. *de tut.* 5. *l. 6. in fin. ſupr. ad SC. Tert. l. 6. Ȝ. in quibus cauſ. pignus. l. 2. ȝ. quando mulier tut.* adde *Nov.* 22. *c.* 40. 19 De emancipatione ex ſacro reſcripto dixi ad *l. 18. ſupr. de collat.* adde *l. 13. Ȝ. h. t.* 20 *l. 5. Ȝ. de emancipation.* 21 Reſcriptum principis reſervans emancipato jura adgnationis ſive ſuccedendi, intelligitur reſervare tam active quam paſſive. *Salic.* 22 *l. ult. Ȝ. eodem. §. ult. Inſt. de legit. adgnat. ſucceſſ. l. 4. ſupr. de legit. tut. l. 5. ſupr. de curat. fur.* 23 Hæc verba ad finem uſque legis Accurſius non agnoſcit & abſunt quoque ab interpretatione: κατὰ πόδας. Cujac. 18. *obſ.* 18. 24 De partu quinquagenario adde exemplum Conſtantiæ uxoris Henrici V. Imperatoris, quæ ea ætate peperit. vide Fazellum, 8. *rerum Sicularum.* adde *l. 15. §. 2. ff. de adopt.* 16. Ulp. *ult. l. 27. ſupr. de nuptiis.* Goth. Vid. Næviſan. *Sylv. nupt. lib. 2. n.* 17. Menoch. *de arbitr. jud. lib. 2. caſ.* 89. Tholoſan. *de Republ. lib. 7. cap.* 16. *n.* 17. Molin. *ad conſuetud. Pariſ. tit. des fiefs. num.* 92. Anſ. 25 Ratio dubitandi fortaſſis videbatur, quod hujuſmodi partus inſolitus & quaſi contra naturam, & idem de eo dicendum videretur, quod de natis contra naturam. Quibuſdam etiam videbantur ea ætate contractæ nuptiæ minus juſtæ ac legitimæ: *l. 27. ſupr. de nuptiis.* proinde & ex ea conjunctione nati injuſti liberi & a ſucceſſione matrum alieni. 26 De Cæſariana advocatione, ad quam Juſtinianus noſter multas conſtitutiones conſcripſit, adde *l. ult. ſupr. de pactis.* ſunt qui Cappadociæ Cæſaream hic accipiunt, quæ Charondæ legum primum uſum doctiſſimoſque interpretes habuit. de qua Strabo 12. ſed tamen videtur Palæſtinæ fuiſſe *arg. l. penult. infr. de fidej.* 27 Nam mulier eo tempore pro ſterili habetur. *l. 21. D. de act. empt.* 28 De his quæ raro fiunt, communiter jus aut lex conſtitui non ſolet. *l. 3. D. de legib. l. 64. D. de reg. jur.* fit tamen interdum. *l. 12. D. de ſenatoribus. l. 7. §. 3. D. de adq. rer.* 29 Probabilia Juriſconſultus admittit. 30 Partus natus ex muliere etiam quinquagenaria, eſt legitimus, & ideo ad ſucceſſionem admittitur. 31 *l. 27. ȝ. de nuptiis:* dixi ad Ulp. 16. §. 3. 32 Seu impar matrimonium, Ulp. *d. loco.* 33 Vide *l. 11. ſupr. h. t.* 34 *l. 5. Ȝ. de emancipat. & d. l.* 11. 35 *l. ult. Ȝ. comm. de ſucceſſion.* 36 Hodie pater virilem proprietatis cum fratribus defuncti concurrens obtinet. *Novell.* 118. *c. 2. verſ. Si vero.* 37 Olim ſemis adquirebatur. *l. 7. ȝ. ad SC. Tert.* 38 De ſacris paternis dixi plenius ad *l.* 10. §. 1. *Ȝ. de adoptionib.* 39 *l. 50. §. 2. in fin. D. de bon. libert.* 40 Hodie virilem proprietatis, *d. c.* 2. dixi ad *l. ult. ſupr. de ſuis.* 41 In maternis rebus uterini præferuntur. 42 Hinc illa regula, Paterna paternis, materna maternis. *Nov.* 84. *c.* 1. §. 2. quam immutat *Novell.* 118. *c.* 2. vult enim fratres conjunctos ex utroque latere uterinis, vel paternis tantum præferri. Extantibus uterinis tantum, & paternis tantum dividi hereditatem defuncti in ſemiſſem, nulla habita ratione originis bonorum: quin cognatus, ſi proximior fuerit, excludit adgnatum. *Novell.* 118. *c.* 3. *Auth. Poſt fratres. ȝ. eod.* quod & in Galliæ regionibus juri ſcripto ſubjectis ſervatur. Hot. *conſil.* 23. In aliis regionibus Galliæ, paterna paternis, materna maternis deferuntur. vid. Hot. *ibi.* Pone igitur, patruelis mei filio bona quædam paterna fuiſſe: eidem Franciſcum nepotem ex fratre uterino ſuſceptum fuiſſe: uter potior in illius paternis? Egone, an vero nepos ex defuncti fratre uterino Franciſcus? Paponius 21. *Arreſt. n.* 17. & Lucius 8. *Arreſt.* 10. *num.* 4. referunt contra nepotem judicatum fuiſſe, cum hic agatur de bonis paternis, idque ita judicant Galli ex hac lege. Quod ut plenius intelligamus, rem paucis explicemus: Titius ex Mævia ſuſcepit AB. Mævia ex Sempronio CD. Sempronius ex Caia EF. Quod ad hujuſmodi perſonas attinet, AB. ſunt inter ſe conſanguinei; CD. inter ſe quoque conſanguinei: EF. inter ſe quoque conſanguinei. AB. ad CD. uterini, ad EF. nihil. CD. ad EF. paterni. Pone C. mortuum, relictis bonis paternis, maternis, & adventitiis, D. ut frater conſanguineus excludet AB. uterinos tantum, & EF. paternos tantum. Finge D. poſtmodum mori relictis bonis paternis, maternis, & adventitiis: AB. colligerent materna ex hac lege: EF. paterna. Hodie res agitur ſimplicius. Tota hereditas defuncti D. inter paternos, & uterinos æqualiter dividitur, ut unam mediam ferant paterni, alteram materni. *Novell.* 118. *c.* 2. 43 Lex 12. tabularum nulla diſcretione ſexus ſucceſſionem defert. Paul. 4. *ſentent.* 8. §. 3. adde §. 3. *verſ. & hæc quidem. Inſt. de leg. agnat. ſucceſſ.* dixi ad *l. 12. tab. lib. 2. tit. 20. §. 6. & 21. l. 4. ȝ. de lib. præteritis.* 44 Huic legi contraria eſt lex Salica Francica *tit. de Allode.* qua cautum fuit, ut ne ulla portio terræ Salicæ ad fœminas deferretur, de qua vide quæ in utramque partem diſputat Pyrrhus *diſp. 3. de lege Salica*, & regni ſucceſſione.

legiti-

legitimis, & in eorum ſucceſſionibus, necnon & in liberis obſervandum eſſe exiſtimavit: nullo ¹ diſcrimine in ſucceſſionibus habito, cum natura ² utrumque corpus ediderit, ut maneat ſuis vicibus immortale ³, & alterum ⁴ alterius auxilio egeat, & uno ſemoto, & alterum corrumpatur. Sed poſteritas dum nimia utitur ſubtilitate ⁵, non piam induxit differentiam, ſicut Julius Paulus in ipſo principio libri ſingularis, quem ad ſenatusconſultum Tertyllianum fecit, apertiſſime docuit. Cui enim ferendum eſt, ab inteſtato ſucceſſionibus ſuas quidem filias ad ſimilitudinem maſculæ ſobolis in parentis vocari ſucceſſionem, & iterum ⁶ germanas jure conſanguinitatis eandem ſibi vindicare prærogativam, deinceps autem legitimas fœminarum perſonas, ſi jura conſanguinitatis non poſſident, [a] ſucceſſione legitima repelli, cum maribus eadem ſucceſſio pateat? Quare enim patris ſoror non ad ſucceſſionem filii fratris ſui una cum maſculis vocatur, ſed aliud jus in amitis, aliud in patruis obſervatur? Vel qua ratione fratris filius ad ſucceſſionem patrui vocatur, germana autem ejus ab eadem ſucceſſione recluditur? Hujuſmodi itaque legis antiquæ reverentiam & nos anteponi ⁷ novitati legis cenſemus, & ſancimus ⁸, omnes legitimas perſonas (id eſt per virilem ſexum deſcendentes) ſive maſculini, ſive fœminini generis ſint, ſimili modo ad jura legitimæ ſucceſſionis ab inteſtato vocari ſecundum gradus ⁹ ſui prærogativam: non ideo excludendas, quia conſanguinitatis jura ſecundum germanæ obſervationem non habeant. Cum enim unius ſanguinis jura remaneant per virilem ſexum incorrupta: quare naturam ¹⁰ offendimus, & legitimo juri derogamus? cum & aliam maximam injuriam res in ſe continet, plerisque quaſi vulnus inteſtinum incognitum. Cum enim, & ad ¹¹ ipſarum mulierum ſucceſſionem maſculi jure agnationis vocantur: quis patiatur earum quidem hereditatem ad eos legitimo jure deferri, ipſas vero nec invicem ſibi, nec maſculis eodem jure poſſe ſuccedere, ſed propter hoc ſolum puniri, quod ¹² fœminæ natæ ſunt, & paterno ¹³ vitio (ſi ¹⁴ hoc vitium eſt) prolem innocentem gravari? §. 1. In his igitur caſibus legem ¹⁵ duodecim tabularum ſequentes, & novum ¹⁶ jus ¹⁷ noviſſimo jure corrigentes, etiam unum ¹⁸ gradum pietatis intuitu transferri a jure cognationis in legitimam volumus ſucceſſionem: ut non ſolum fratris filius, & filia (ſecundum quod jam definivimus) ad ſucceſſionem patrui ſui vocentur, ſed etiam germanæ conſanguineæ, vel ſororis uterinæ filius & filia ſoli, & non deinceps perſonæ una cum his ad jura avunculi ſui perveniant: & mortuo eo, qui patruus quidem eſt fratris ſui filiis ¹⁹, avunculus autem ſororis ſuæ ſoboli, ſimili modo ex utroque latere ſuccedant, tanquam [ſi] omnes legitimo jure veniant: ſcilicet ubi frater, & ſoror ſuperſtites non ſunt. His enim perſonis præcedentibus, & hereditatem admittentibus, cæteri gradus remaneant penitus ſemoti ²⁰. † Illo proculdubio obſervando, ut ſucceſſio non in ſtirpes, ſed ²¹ in capita dividatur, & is gradus in ordinem legitimum transferatur: cæteris omnibus ſucceſſionibus ſecundum jus uſque ad præſens tempus obſervatum in ſuo ſtatu manentibus. Si qui autem caſus jam evenerunt: ſecundum quod priſtina jura volebant, eorum fiat diſtributio. Dat. 5. Kal. Decembr. poſt conſulatum LAMPADII, & ORESTIS VV. CC. 532.

Præfatio, & confirmatio ſuperioris conſtitutionis. 1. De filiis emancipatorum. 2. De fratribus, & ſororibus uterinis. 3. De tertio gradu. 4. De tutela. 5. De caſibus præteritis.

15. Idem A. Joanni P. P.

MEminimus antea ²² divinam [nos] promulgaſſe conſtitutionem, per quam ad veſtigia legis ²³ duodecim tabularum totam progeniem ex legitima ſobole deſcendentem, ſive maſculinam, ſive fœmininam legitimo jure hereditatem adipiſci ſanximus: ut quemadmodum ²⁴ ipſis a legitimis perſonis ſucceditur, ita & ipſæ legitimarum perſonarum amplectantur ſucceſſionem. In qua conſtitutione unum gradum ex cognatis in jus legitimum reduximus ²⁵, id eſt, germanæ [conſanguineæ] filios, & filias, & ſororis uterinæ filios, ac filias. Quam conſtitutionem ²⁶ in ſuo robore permanere cenſemus, cum & in noſtris ²⁷ conſtitutionibus ²⁸ tenor ejus a nobis relatus eſt. Sed ſubtiliore tractatu habito, neceſſarium duximus, & ſi quid ex prætoria juriſdictione ²⁹ frugi inventum eſt, & hoc cum perfectiſſima definitione diſpoſito noſtras leges ampliari. §. 1. Cum igitur prætorem ³⁰ filium emancipatum, licet ſubtili ³¹ jure capite fuerat deminutus, attamen in patris ſucceſſionem ſine ulla deminutione vocare manifeſtum eſt: non eodem autem jure etiam ad fratrum ſuorum ſucceſſiones ab eo vocabatur, ſed nec filii ejus jure legitimo ſuis patruis ſuccedebant: neceſſarium duximus hoc primum corrigere, & legem Anaſtaſianam juſto incremento perfectam oſtendere: ut emancipati ³² filius, & filia, non ſolum in paternis [bonis], ad ſuorum ſimilitudinem ſuccedant: ſed etiam in fratrum, vel ſororum ſuarum ſucceſſione (ſive omnes ſui, ſive omnes emancipati ſint, ſive mixti) æquo ³³ jure invicem ſibi ſuccedant, & non ſecundum legem Anaſtaſianam ³⁴ parte aliqua deminuta. Et hæc quidem de filiis emancipatis ſancire belliſſimum nobis viſum eſt. §. 2. Sed nec fratrem, vel ſororem uterinos ³⁵ concedimus in cognationis loco relinqui ³⁶: cum enim tam proximo gradu ſunt, merito eos ſine ulla differentia, tanquam ſi conſanguinei fuerant, cum legitimis fratribus & ſororibus vocandos eſſe ſancimus: ut ſecundo gradu conſtituti, & legitima ſucceſſione digni reperti, aliis omnibus, qui ſunt ulterioris gradus, licet legitimi ſint, præcellant. Et hæc quidem de ſecundi gradus ſucceſſione ſatis abundeque a nobis cum ſumma utilitate diſpoſita ſunt. §. 3. Cum autem tertio gradui ex transverſa linea fuerit locus, ubi patruis, & filiis fratrum, & ſororum [locum] antiquitas dedicavit: una cum illis tam emancipati ³⁷ fratris, quam emancipatæ ſororis filium tantummodo, & filiam, ſive emancipatos, ſive ſuos patribus [ſuis] conſtitutos, & neminem alium ulterius: necnon fratris uterini & ſororis germanæ, vel uterinæ filium & filiam tantummodo ex legitima linea invicem vocari cenſemus, ſicut jam ſanximus: ut omnes, qui vel ab antiquo ³⁸ jure, vel a noſtra liberalitate in legitimorum quidem poſiti ſunt prærogativa, & eodem tertio gradu ſunt, ſimili jure vocentur. Succeſſionis videlicet jure & in hac parte ſervando: ut ſi ³⁹ qui ex ſecundo gradu vocati renunciaverint hereditati, & noluerint eam adire, nulluſque alius ſit in ſecundo gradu, qui ſuccedere poteſt, & vult: tunc hi, quos præſenti lege enumeravimus ex tertio gradu, in locum recuſantium ſuccedant. † Illo etiam obſervando, ut ſucceſſio non in ſtirpes, ſed in ⁴⁰ capita dividatur: cæteris omnibus ſucceſſionibus ſecundum jus uſque ad præſens tempus obſervatum procedentibus, & nullo ex cognatis ſupra memoratos gradus ad juris agnatitii ⁴¹ formam redigendo, ſed ſuum ordinem ſuamque proximitatem retinente incorruptam. §. 4. Quas autem perſonas ex jure cognationis in legitimas ſucceſſiones transveximus, eas ⁴² etiam tutelæ gravamini viciſſim ſupponimus, ſcilicet ſi maſculi ſint, & perfectæ ætatis, ſecundum noſtræ conſtitutionis ⁴³ tenorem: ut non ſolum lucrum ⁴⁴ ſentiant, ſed etiam gravamini ſubjugentur. §. 5. Si qui autem caſus jam evenerunt, & per judicialem ſententiam ⁴⁵, vel amicabilem ⁴⁶ transactionem ſopiti ſunt, nullam ſentiant ex hac lege retractationem. Dat. Idib. Octobr. *Conſtantinop.* DN. JUSTINIANO A. PP. IV. & PAULINO V. C. CONSS. 534.

TIT. LIX.

COMMUNIA DE SUCCESSIONIBUS ⁴⁷.

De his, qui ſuccedunt fratri emancipato.

1. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Varaniæ.

SCire debuiſti, fratre emancipato potiorem eam, quæ in familia manſit, in ⁴⁸ alterius emancipati bonis non haberi: ſed eos pariter, ſi ⁴⁹ ſolenniter petierint bonorum poſſeſſionem, ſuccedere. S. 15. Kal. Jun. *Sirmii*, CC. CONSS.

De tutelæ actione, & herede heredis.

2. Iidem AA. & CC. Apollinari.

SI pater tuus propius ⁵⁰ ſobrino tuo agnato conſtituto, & inteſtato defuncto, civili jure adita hereditate; vel hoc ab initio non interveniente ſeu capitis deminutione perempto, ſolenniter ⁵¹ bonorum poſſeſſione ⁵² admiſſa, ſucceſſit; ac tibi patris tui quæſita hereditas eſt: adire præſidem provinciæ debes, ac tutorem ⁵³ ejus de tutela convenire. Dat. 14. Kal. Jun. *Veronæ*, AA. CONSS.

An vitricus privigno ſuccedat.

3. Iidem AA. & CC. Ulpianæ.

VItrico ⁵⁴ privigni ſucceſſionem inteſtato civili, vel honorario jure non deberi, certiſſimum eſt. S. 15. Kal. Mart. *Sirmii*, CC. CONSS.

De ſervis.

4. Iidem AA. & CC. Aſterio.

SErvus ſucceſſores habere ⁵⁵ non poteſt ⁵⁶. Dat. Non. April. CC. CONSS.

Privignum novercæ non per ſe, ſed per fratres ſuccedere.

5. Iidem AA. & CC. Juſtinæ.

AMitæ, cui ſucceſſiſſe filios ſuos proponis, hereditatem tuo nomine non recte petis. Sed quoniam hos [etiam] inteſtatos diem functos adſeveras: ſiquidem hi, quos privignos ⁵⁷ ejuſdem amitæ dicis, eorum conſanguinei ⁵⁸ fuerint, fratres tam agnationis, quam cognatio-

1 *Nov.* 18. *c.* 4. *Nov.* 21. *Nov.* 118. *c.* 4. & 5. §. 3. *Inſt. de legitima agnat. ſucceſſ.* 2 Paria natura jus idem exigunt. 3 Laus nuptiarum, facit *Novell.* 22. adde *Novell.* 39. *in fin. pr. l. 220. in fin. ff. de verb. ſign.* v. Auguſtin. *de bono conjugii:* Martialem *epiſtola ad Tholoſanos:* & Columellam *l.* 12. Muſonium *apud Stobæum ſermone* 65. 4 Vir uxoris auxilio indiget *Geneſeos 2. verſ.* 18. 5 Nimia ſubtilitas impia. 6 Hoc innuit, jure veteri filias ſucceſſiſſe parentibus: ſorores etiam fratribus, at non conſobrinas conſobrinis, & fœminæ ad hereditates legitimas ultra conſanguineas ad ſucceſſionem non admittebantur. Paul. 4. *ſent.* 8. §. 3. dixi ad *leges* 12. *tab.* 7 Antiquitas reducta novitati anteponitur. 8 Fœminæ jure adgnationis pariter ut maſculi admittuntur. 9 Ut qui proximior ſit, ſemper præferatur. 10 Natura, id eſt, jus naturæ offenditur: naturam offendere non licet. *l. ult. ȝ. de lib. præt.* 11 Maſculi ſuccedunt fœminis, *ut hic. & l. 15. infr. h. t.* 12 Non ideo mulieres puniendæ, quod fœminæ. 13 Paternum vitium (fuit hæc Stoicorum ſententia) ipſi proli non nocet. 14 Nullum vitium eſt in fœmina, quod ſit fœmina. 15 Dixi ad *l.* 12. *tabular.* 2. *tit.* 20. §. 13. adde §. 4. *Inſt. de legitim. adgnator. ſucceſſ.* 16 Noviſſimis nova corriguntur. 17 Jus videtur hic ſumi pro errore, aut certe legem Voconiam intelligit, quam hic tollit, de qua vide Paul. 4. *ſentent.* 8. §. 3. 18 *l. 15. Ȝ. h. t.* 19 Olim fratris filius & filia ad ſucceſſionem patrui ſui vocabantur, ſi tamen defuncto frater & ſoror ſuperſtites non erant, *ut hic. & l. 3. ſupr. h. t.* Hodie ſuccedunt etiamſi defuncto ſint fratres. *Novell.* 127. *c.* 1. 20 Hodie non ſunt ſemoti fratrum filii. *d. c.* 1. 21 Plures fratrum filii in patrui ſucceſſione inter ſe concurrentes ſuccedunt in capita. *Nov.* 118. *c.* 3. *in fin.* cum reliquis patruis concurrentes, in ſtirpes, ut dixi ad *d. c.* 3. adde Rebuff. *in proœm. conſtit. gloſſ.* 5. *num.* 81. 22 Id eſt, *l. 14. ȝ. h. t.* 23 *d. l. 14. in pr. & §. 1. in pr.* 24 *l. 14. verſ. cum enim.* 25 *d. §. 1. in pr.* 26 *d. l.* 14. 27 Obſerva hunc Codicem editum fuiſſe poſt Inſtitutionum libros. 28 §. 4. *Inſt. de legit. adgnat. ſucceſſ.* 29 Ex prætoris Edictis. 30 *l. 1. ȝ. de jure delib. l. 6. §. 1. verſ. Quamvis. ff. de bonor. poſſ. l. 1. in fin. ff. quis ordo.* 31 Jus ſubtile. 32 Emancipatus una cum ſuis patri, fratri, ſorori ſuccedit. 33 *l. 1. Ȝ. tit. prox.* 34 §. 1. *Inſt. de ſucceſſ. cognat. l. 4. ȝ. de legit. tut.* 35 Uterini fratri ſuccedunt. *l. ult. ȝ. ad SC. Tertull.* ſi tamen defuncto fratri non fuerint fratres utroque parente conjuncti: vel hujuſmodi fratrum filii: hi enim præferuntur & uterinos excludunt. *Novell.* 118. *c.* 3. 36 Ut ſuccedant tanquam cognati. 37 Filii fratrum emancipatorum ſuccedunt omnino cum filiis fratrum relictorum in familia, *ut hic. & §. 1. verſ. nec intereſt. Inſt. de ſervili cognat.* 38 Legibus 12. tabularum, ſcil. 39 Primis repudiantibus, aut non extantibus, proximiores ſuccedunt. 40 Dixi ad *l. 14. in fin. ȝ. h. t. Novell.* 118. *cap. 3. in fin. l. 2. ȝ. de ſuis.* 41 Agnatici. *Novell.* 118. quæ ita inſcripta eſt, de æqualitate agnatici juris. 42 Ubi hereditas, ibi tutela, niſi ætas, vel ſexus impediat: adde *l. 73. ff. de reg. jur.* 43 *l. ult. ȝ. de legitim. tut.* 44 Ibi gravamen ubi lucrum, vide *l.* 23. §. 3. *ſupr. de furtis. l. 149. ff. de reg. jur.* 45 Legis virtus non extenditur ad lites ſententia vel transactione definitas. 46 Amicabilis transactio. 47 Inteſtati ſcilicet quæ deferuntur, vel jure civili, vel prætorio. 48 Emancipato ſui & emancipati fratres ſimul ſuccedunt. adde *l. ult. §. 1. ſupr. tit. prox.* 49 Id remiſſum eſt, *l. ult. ſupr. qui admitti ad bon.* 50 *Propior:* quidam ita legunt. 51 Solennitas ea remiſſa eſt. *d. l. ult.* 52 Sicut hereditas per bonorum poſſeſſionem quæſita transmittitur, ita & adita. Jure noſtro quod ad tranſmiſſionem attinet nihil intereſt inter jus civile & prætorium. 53 Heredibus pupilli datur actio tutelæ. *l. 12. ſupr. arbitr. tut.* 54 Vitrico privignus eſt adfinis. *arg. §. 6. Inſtit. de nupt.* Adfinitatis autem jure nulla ſucceſſio ei defertur. *l. 7. Ȝ. h. t.* hoc eſt, vitricus privigno ab inteſtato non ſuccedit. *Synopſ. Baſil.* 42. *tit.* 1. *c.* 46. ergo nec vitrico privignus, *ut hic.* 55 Aut alteri ſuccedere, vel dominus per eum cognatis ſervi. *l. 9. Ȝ. h. t. & Inſt. de ſerv. cognat.* 56 Niſi certis caſibus ſervus ſucceſſorem habet. *l. pen. ȝ. de his, quibus ut indign. l. 8. ȝ. de ſuis. l. ult. ȝ. ad SC. Orphitian. l. 8. ſupr. tit. prox. l. 1. in pr. & §. 3. D. de ſuis.* quemadmodum & in Gallia hæc lex locum non obtinet, ut in qua nulli ſint proprie ſervi. Quibus enim hodie utimur, liberi ſunt. Eſt etiam plurium locorum conſuetudo, ut filiis relinquatur peculium quod pater habuit. *Gloſſ. in can. illud* 13. *quæſt.* 2. *in fin.* 57 Cauſæ conſtitutionem ad hanc legem difficilem vide apud Cujacium 12. *obſ.* 7. & Hotom. 6. *obſ.* 9. 58 *l. 1. ff. de ſuis. Nov.* 118. *c.* 3.

nis

nis jure ſecundo [1] gradu conſtitutos tibi præferri non ambigitur. Nam [2] ſi amitinis [3] tuis alio etiam patre natis, nunquam [4] eorum matris [5] privigni ſunt: admiſiſſe te bonorum poſſeſſionem probans, eorum vindica ſucceſſionem. S. 12. Kalend. Mart. CC. CONSS.

De avunculo, & conſobrino.

6. Iidem AA. & CC. Publiciano.

AVunculo [6] priori, qui eſt [in] tertio gradu, quam conſobrino [7], qui ſequentem occupat, deferri ſucceſſionem inteſtati, certi juris eſt. Suppoſita Kal. Octobr. CC. CONSS.

De affinibus.

7. Iidem AA. & CC. Nicolao.

ADfinitatis [8] jure nulla ſucceſſio permittitur [9]. S. Idib. Octobr. CC. CONSS.

Si ſpes teſtamentariæ ſucceſſionis duret.

8. Iidem AA. & CC. Juſtæ.

ANtequam ſcriptus [heres] cujuscunque portionis capax repudiet hereditatem, vel alia ratione quærendæ facultatem amittat: ei [10], qui teſtamentum reliquit, inteſtato nemo ſuccedit. Igitur perſpicis, quod teſtamentariæ [11] ſucceſſionis ſpe durante, inteſtato bona defuncti non recte vindicentur. S. 6. Idib. Mart. *Retiariæ*, CC. CONSS.

De domino ancillæ, quæ cum defuncto contubernium habuit.

9. Iidem AA. & CC. Sopatro.

ANcillæ [12] dominus liberi hominis, cum quo contubernium hæc habuit, per hanc conjunctionem ſucceſſionem vindicare non poteſt. S. 15. Kal. Januar. *Nicomediæ*, CC. CONSS.

De nutritoribus.

10. Iidem AA. & CC. Danubio.

NUtritoribus [13] hoc nomine, nec civili, nec honorario jure defertur hereditas. S. 6. Kal. Januar. CC. CONSS.

De peregrinis & advenis.

In AUTHENT. De ſtatu & conſuet. §. omnes peregrini. col. 10. conſt. fin.

OMnes peregrini & advenæ libere [14] hoſpitentur, ubi voluerint. Et hoſpitati ſi teſtari voluerint, de rebus ſuis liberam ordinandi habeant facultatem, quorum ordinatio inconcuſſa ſervetur. Si vero inteſtati deceſſerint, ad hoſpitem [15] nihil [16] pervenit; ſed, bona ipſorum per manus Epiſcopi loci, ſi fieri poteſt, heredibus [17] tradantur, vel in pias cauſas erogentur. Hoſpes vero ſi aliquid ex talium bonis contra hanc conſtitutionem noſtram habuerit: Epiſcopo triplum reſtituat, quibus viſum ei fuerit adſignandum, non obſtante ſtatuto aliquo, aut conſuetudine, ſeu privilegio, quæ hactenus contrarium inducebant. Si qui autem contra hanc noſtram conſtitutionem venire præſumſerint, eis de rebus ſuis teſtandi interdicimus facultatem, uti in eo puniantur, in quo deliquerunt: alias, prout culpæ qualitas exegerit, puniendi.

De lucris nuptialibus & de bonis maternis.

11. Imp. JUSTINIANUS A. Demoſtheni P. P.

SAncimus, quemadmodum de his rebus, quæ liberis in ſacris conſtitutis ex occaſione maritali acquiſitæ ſunt, certus deſtinatus [18] eſt ordo; ut ſi quis ex his ab hac luce fuerit ſubtractus, pars ejus, quam lucratus fuerat, ad liberos ejus, vel nepotes concedatur; quibus non extantibus, ad fratres ſuos ex eodem matrimonio progenitos, vel ſi etiam non ſuperſint, ad fratres ex aliis nuptiis procreatos: cumque nemo eorum fuerit relictus, tunc ad patrem perveniet, ita & de his, quæ materna [19] linea per quamcumque occaſionem, vel inter vivos, vel per ultimas diſpoſitiones, vel ab inteſtato deſcendunt, ſimilis ordo ſervetur: primo in filii, vel filiæ ſucceſſionem poſteritate ejus vocanda: eaque non inventa, fraterno [20] conſortio ejusdem, vel alieni matrimonii ſecundum prædictum ordinem arceſſito: tunc ad ultimum [21] locum pater a legibus conclametur, & ſui filii non gratam hereditatem relictam, ſed triſte [22] lucrum ſibi lugeat acquiſitum. In omnibus videlicet [caſibus] in ſuperſtite ſobole liberorum & fratribus adhuc viventibus, qui ad hereditatem defuncti patrem antecedunt, uſufructu [23] rerum, quarum dominium ad eos pervenit, apud parentes remanſuro. Dat. 15. Kal. Octobr. *Chalced.* DECIO V. C. CONS. 529.

De fratribus & ſororibus.

In AUTHENT. de conſang. & uter. frat. §. 1. col. 6. tit. 13. al. 12. Novell. 84. cap. 1.

ITaque mortuo patrefamilias, ſi filius decedat inteſtatus ſine liberis, relictis fratribus & ſororibus, aliis conſanguineis, aliis uterinis, & quibusdam ex utroque parente conjunctis: in eos ſolos tranſmittit hereditatem, qui ex utroque [24] latere connexi ſunt.

TIT. LX.

DE BONIS MATERNIS [25], ET MATERNI [26] GENERIS [27].

In rebus maternis delatis filio in poteſtate conſtituto pater habet hodie ſolum uſumfructum. Salic.

1. Imp. CONSTANTINUS A. Conſulibus, Prætoribus, Tribunis plebis, & Senatui S.

REs, quæ [ex] matris [28] ſucceſſione, ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato fuerint ad filios devolutæ, ita ſint in parentum poteſtate, ut [utendi] fruendi [29] [duntaxat] habeant in diem vitæ facultatem, dominio [30] videlicet earum ad liberos pertinente. † Parentes autem, penes quos maternarum rerum utendi, fruendique [tantum] poteſtas eſt, omnem debent tuendæ rei diligentiam [31] adhibere: & quod jure filiis debetur, in [32] examine [per ſe, vel per procuratorem [33]] poſcere: & ſumptus ex fructibus impigre facere, & litem inferentibus reſiſtere: atque ita omnia agere [34], tanquam ſolidum perfectumque dominium [eis acquiſitum fuiſſet], & perſonam gerant legitimam, ita [35] ut, ſi quando rem alienare voluerint, emptor, vel is, cui res donatur, obſervet, ne unquam partem earum rerum, quas alienari prohibitum eſt, ſciens accipiat, vel ignorans: docere enim pater debet, proprii juris eam rem eſſe quam donat, aut diſtrahit: & emptori, ſi velit, fidejuſſorem licebit accipere: quia nullam poterit præſcriptionem [36] opponere filiis quandocunque rem ſuam vindicantibus. Dat. 15. Kalend. Auguſt. *Aquileiæ*, SABINO, & RUFINO CONSS. 316. Recitata apud VECTIUM RUFINUM P. V. in Senatu, Non. Septembr. CONSTANT. A. P. & LICINIO CONSS. 319.

In AUTHENT. de nupt. §. ſi vero expectet. ver. interminatur. col. 4. tit. 1. Novell. 22. cap. 23.

NIſi tricennale tempus tranſeat, quo poſſeſſor dominus [37] ſit, & detentatio accipientes dominos faciat, vel conſtituat: tempore incipiente filiis currere, ex quo ſuæ poteſtatis eſſe apparuerint: niſi tamen aliquem impuberem ætas adjuvet.

2. Impp. ARCAD. & HONOR. AA. Florentio P. P.

QUidquid [38] avus, avia, proavus, proavia [ex materna linea venientes] nepoti, nepti, pronepoti, pronepti, teſtamento, fideicommiſſo, legato, donatione, vel alio quolibet titulo largitionis, vel etiam inteſtati ſucceſſione contulerint: pater filio, filiæve integra illibataque cuſtodiat, ut vendere, donare, relinquere, alteri obligare [ſicut nec materna [39] bona], non poſſit, [uſufructu duntaxat ad eum pertinente:] ita ut quemadmodum ipſe ſuper his [rebus] licentiam totius poteſtatis amittit, defuncto eo, filio, filiæve præcipua [40] computentur, nec ab illis, qui ex parte [41] ſunt coheredes, vindicentur. Dat. Idib. Octob. OLYBRIO, & PROBINO CONSS. 395.

3. Impp. THEOD. & VALENT. AA. ad Senatum urbis Romæ.

SI [42] viva matre emancipati [43] ſunt filii, & poſtea deceſſit mater: quoniam omni commodo deſtituitur pater, neque retinet uſumfructum, viriles ei inter filios (ſive unus, ſive plures ſint) uſusfructus tribuimus portiones. Sin vero mulier moriens alios ex filiis emancipatos a patre, alios in patria poteſtate dimiſerit, in [hoc] caſu diſpari utetur maritus defunctæ beneficio. Quo caſu utrique præſcripſimus, id eſt, circa eorum quidem portionem, qui adhuc in ſacris retinentur, uſumfructum ex legum autoritate retinebit [pater] & præmium [44] delatæ emancipationis [45], cum volet, accipiet: in eorum vero parte, quos exiſſe de poteſtate viva matre conſtiterit, uſumfructum vi-

1 Utpote in &c. 2 Ac ſi. 3 Id eſt, filiis amitæ. 4 Non conſanguinei eorum &c. Cujac. 12. *obſerv.* 7. Lego, *nil quam*, 1. *G.* id eſt, nudi privigni matris, non etiam amitinorum conſanguinei. 5 Matri, Hotom. 5. *obſerv.* 30. *eo ſenſu*, Si nunquam eorum matri ex novo matrimonio communes liberi nati, ſed privigni tantum quæſiti ſunt. 6 Mihi avunculus eſt & conſobrinus, quis eorum potior ut mihi ſuccedat? avunculus. 7 Vide *l.* 1. *ſupr. unde legitim.* 8 Vide *l.* 3. *ſupr. h. t.* excipe caſum *legis* 5. *ſupr. h. t.* 9 *Promittitur*, Cujac. 17. *obſ.* 6. 10 Dic ut J. *h. t.* 11 Quandiu ex teſtamento ſuccedi poteſt, non ſuccedit ab inteſtato, *ut hic*, & *l.* 39. *ff. de adq. vel omitt. her.* 12 Ancilla cum Titio libero homine contubernium habuit? ancillæ dominus Titio non ſuccedet. Nam ut bonorum poſſeſſio peti poſſit, juſtum matrimonium eſſe oportet. *l.* 1. *ff. unde vir & uxor.* 13 Nutritor non ſuccedit ab inteſtato ei quem nutrivit, hoc videlicet ſolo quod eum nutriverit. facit *l. ult. infr. de infantibus expoſitis. l.* 24. *ſupr. de epiſc. audientia.* vide etiam de alumno quæ dicam ad *l.* 1. J. *quæ res pignor.* ſic nec hoſpes hoſpiti. *Authent. omnes.* J. *h. t.* nec ſocius ſocio. *l.* 4. J. *pro ſocio. l.* 1. J. *qui teſtam.* 14 Liberi homines ire & habitare poſſunt, quo voluerint. *l.* 12. J. *de oper. libert. l.* 71. §. 2. *ff. de cond. & demonſtr.* adeo ut mutatæ habitationis cauſa Princeps bona confiſcare non poſſit. 15 Peregrini teſtari quovis loco poſſunt, & heredem ſuum etiam ab inteſtato habent. Olim quibusdam in locis jus ſucceſſionis hoſpites ſibi vindicabant hoſpitii jure, quod hæc Authentica tollit. Non etiam probatur a Bartolo hic Accurſius in *l. quo tutela.* 73. *ff. de reg. jur.* exiſtimans, omnibus deficientibus tutorem pupillo ſuo ſuccedere. 16 Ut quibusdam locis fiebat. 17 Peregrini inteſtati bona heredibus ab inteſtato conſervantur. In Gallia Rex jure *albinagii* peregrinorum bona occupat, niſi ſcholaſtici fuerint: vel albinagii jure privilegio quodam exempti, ut Scoti, Helvetii & ſimiles. vide Rebuff. *in proœm. conſtit. gloſſ.* 5. *n.* 82. vide Papon. 5. *Arreſt.* 1. *du droict d'aubeine* & 3. *Notar.* 6. *des lettres de naturalité.* 18 Leone ſcil. *l.* 4. J. *de bonis quæ liber.* 19 Matri ſuccedunt liberi. 20 In maternis etiam bonis frater fratri ſuccedit. 21 *Nov.* 84. *c.* 1. Hodie fratres defuncti non præferuntur ejusdem parentibus. 22 Patri filii hereditas triſte lucrum. vide *l. ult.* J. *de inſt. & ſubſtit.* 23 *l.* 13. J. *de legitimis heredibus.* Hodie id immutatum. *d. c.* & *c.* 3. 24 Utroque latere conjuncti præferuntur ſolis conſanguineis & uterinis.

25 45. *Eclog.* 4. περὶ μητρικῶν ὑπάρξεων. Materna bona, quæ a matre accipimus, *ut hic.* dicuntur & matrimonium Senecæ, Suetonio, Valerio, & D. Auguſtino: ut & paterna, patrimonium: & fraterna fratrimonium, ut in notis ad Senecam retuli. 26 Materni generis bona quæ a materna cognatione veniunt. *Eclog. d. loco.* ejusmodi ſunt ea quæ avus vel proavus maternus, avia vel proavia materna, & deinceps nobis dedit, contulit, reliquit. 27 Additur in Theodoſiano Codice *lib.* 8. *tit.* 18. cretione ſublata. 28 De bonis maternis vide *l.* 1. *C. Theod. l.* 8. *tit.* 18. *ex editione* Cujac. *Eclog. d. loco c.* 1.

Goth. Explicationem *hujus legis* 1. & conciliationem *l. ult.* vide apud Joann. a Sande *deciſ. Friſicar. lib.* 2. *tit.* 7. *defin.* 4. Anſ. 29 In rebus maternis delatis filio in poteſtate conſtituto pater habet nudum uſumfructum. Olim bona materna filiofamilias pleno jure acquirebantur. *l.* 6. §. 2. *l.* 92. *ff. de adq. vel omitt. hered. l.* 1. §. 6. *ff. ad SC. Tertyllianum. l.* 3. §. 4. *ff. de donationib. int. vir. l.* 1. §. *ult. D. de liber. exhib.* Accurſ. *hic.* vide Cuj. *hic.* 30 *l.* 1. J. *de bon. quæ liber.* 31 In quolibet adminiſtratore exigitur aſperitas ſumma. Juvenalis, *ſane certus & aſper, Procuratorem vultu qui præferat ipſo.* 32 Hoc eſt, parentes qui uſumfructum in bonis maternis liberorum habent, omnem tuendæ rei diligentiam adhibere debent, ac præterea lites liberorum in judicio perſequi, tam per ſe quam per procuratores: & ſumptus ex fructibus facere. *Synopſ. Baſil.* 45. *tit.* 4. *c.* 1. 33 *l.* 8. J. *de bonis quæ liberis.* 34 *l.* 6. §. 6. *verſ. non autem.* J. *de bonis quæ liberis.* 35 Res maternas liberorum in quibus uſumfructum ipſe pater habet, non poteſt ipſe pater alienare in fraudem ipſorum liberorum: ut eo caſu tutiſſimum ſit, emptori hujusmodi rerum fidejuſſorem ab ipſo patre res eas vendente accipere. 36 Præſcriptio nulla liberis opponitur res ſuas maternas vindicantibus ab earum emptore, hoc eſt, ab eo cui pater ipſorum liberorum eas vel donavit, vel vendidit: quandocunque enim voluerint ipſi liberi, res ſuas vindicare poterunt. 37 Poſſeſſor dicitur dominus competenti præſumptione. 38 De bonis materni generis. *l.* 7. *C. Theod. de bon. matern.* Bona materni generis filio delata patri adquiruntur nudo uſufructu: ideoque pater ea alienare non poteſt. 39 *l.* 1. J. *h. t.* 40 Filius mortuo patre bona materna, aut materni generis reliquis fratribus non confert, qui ex parte ſint coheredes, id eſt, fratris conſortes. vide Cujac. 18. *obſ.* 9. 41 Et ita legitur in *d. l.* 7. *C. Theod.* & in Baſilicis, ἀπὸ τοῦ πατρός. Nam extraneis heredibus certiſſimum eſt filios defuncti propria non conferre. 42 45. *Eclog.* 4. *c.* 3. *l.* 8. *C. Theod.* 8. 43 Viva matre Titius & Cajus a patre emancipatus eſt: mater deceſſit: Proprietas bonorum mortuæ defertur ad ejus liberos: uſusfructus vero eorum bonorum dividitur inter liberos & patrem viriliter. Quid ſi mulier mortua duobus liberis relictis, uno emancipato, altero in poteſtate patris poſito? Hic cum illo, id eſt, cum emancipato fratre pariter ſuccedit, ut proprietatem ſibi acquirat, uſumfructum patri. Imo quotiescunque hunc emancipabit pater, dimidiam partem pro emancipationis præmio, vel pretio retinere poterit. *ut hic. Syn. Baſil.* 45. *tit.* 4. *c.* 3. 44 *Synopſ. ibid.* 45 Bonorum maternorum & materni generis uſusfructus filiofamilias delatus patri adquiritur. *l.* 1. 2. J. *h. t.* Quid ſi filius emancipetur? patris uſusfructus extinguitur. Pro præmio tamen emancipationis parens olim potuit retinere trientem pleno jure. *l.* 1. 2. *C. Theod.* hodie ſemiſſem uſusfructus. *l.* 6. §. 3. J. *tit. prox. l. ult.* J. *de emanc. lib.* §. 2. *Inſt. per quas perſonas cuique.* ad remunerandum beneficium emancipationis: quod & beneficium bonorum quærendorum dicitur in *l.* 1. *ff. ſi quis a parente manum.* Quid ſi hujusmodi bona filio jam emancipato adquirantur? pater virilem in uſufructu conſequitur, *ut hic.*

rilis inter eos portionis ſecundum præſcripta percipiet. † In nepotibus etiam, vel neptibus hoc obſervandum eſſe cenſemus, ut maritus qui uxore mortua non extantibus filiis cum ſolis nepotibus, vel neptibus ex hac lege ad emolumentum [1] vocandus eſt: ſi unus, vel una, pluresve nepotes ex filio uno, vel pluribus qui in poteſtate defecerunt, procreati ſunt, hoc jure utatur, quod de filiis conſtitutum eſt. Nam licet hoc novum præſens lex conſtituat in nepotes: non tamen abs re eſt, ut in hoc caſu deteriores eſſe nepotibus filii non ſinantur. Habeat igitur avus veniens cum nepotibus in poteſtate durantibus uſumfructum bonorum omnium quæ ex defunctæ aviæ ſucceſſione delata ſunt. Cum vero his quoque libertatem emancipatione largitur: ſimiliter & ab ipſis (ſicut de filiis conſtitutum eſt [2]) præmium [3] manumiſſionis accipiat, vel ſi ex pluribus alteros manumittit, alteros retinet, ex parte manumiſſorum legitimum præmium; ex parte vero in poteſtate manentium retineat uſumfructum. † Quod ſi nepotes ſint neptesve aut ex emancipato filio aut ex filia procreati, aut ab ipſo avia vivente ſacris [4] dimiſſi, idem avus virilis cum ipſis portionis habeat uſumfructum. Si vero ex nepotibus neptibusve tempore quo in aviæ ſucceſſionem vocantur, alii in avi ſunt poteſtate, id eſt, mariti defunctæ, alii ſui juris ſunt: circa perſonas quidem eorum qui in poteſtate conſiſtunt, & in uſufructu conſequendo, & in emancipationis præmio conquirendo ratio ſupradicta ſervetur. In his vero qui ſui juris ſunt, facultas capiendi uſusfructus virilis inter eos portionis habeatur. † Eadem [5] autem & de pronepotibus utriusque ſexus [6] ſancimus: manente definitione quæ de ſingulis ſancita eſt, ſi filii ſint pariter ac nepotes. Dat. 7. Id. Nov. THEOD. XIII. & VALENT. III. AA. CONSS. 430.

Pater per tranſitum ad ſecunda vota non perdit uſumfructum ſibi quæſitum in rebus filiorum. Salic.

4. Imp. Leo A. Calliſtrato P. P. per Illyricum.

OMnem [7] ambiguitatis confuſionem amputantes, hac liquida, & compendioſa lege ſancimus, circa uſumfructum maternarum rerum nullam eſſe differentiam, ſive in priore matrimonio pater ex quo filios habuit, permanere voluerit, ſive [8] novercam filiis ſuperinduxerit: legibus quæ de maternis bonis latæ ſunt, ſuam habentibus firmitatem. Patres igitur uſumfructum [9] maternarum rerum, etiamſi ad ſecundas migraverint nuptias, ſine dubio habere debebunt, nec ullam filiis, vel quibuslibet ex perſona eorum contra patres improbam vocem accuſationemque poſſe competere. Dat. Kalend. Septemb. ANTHEMIO A. II. CONS. 468.

TIT. LXI.

DE BONIS, QUÆ LIBERIS [10] IN POTESTATE PATRIS CONSTITUTIS EX MATRIMONIO [11], VEL ALIAS ADQUIRUNTUR, ET EORUM ADMINISTRATIONE.

De bonis maternis & de lucris nuptialibus.

1. Impp. THEODOS. & VALENT. AA. ad Senatum urbis Romæ, poſt alia.

CUm venerandæ leges [12] vetuerint patribus jure poteſtatis acquiri quidquid eorum filiis avus, avia, proavus, proavia a linea [13] materna venientes quocunque titulo contuliſſent, hoc [14] quoque convenit obſervari, ut quicquid [15] vel uxor marito non emancipato, vel maritus uxori in [16] poteſtate poſitæ, quocunque titulo vel jure contulerit, ſive tranſmiſerit, hoc patri nullatenus [17] acquiratur: atque ideo in ejus tantum cui delatum eſt, jure durabit. Dat. 3. Id. Novemb. *Ravennæ*, THEODOSIO XII. & VALENTINIANO II. AA. CONSS. 426.

De profectitiis.

2. Iidem AA. Hierio P. P.

COnſtitutionis [18] novæ [19] capitulum clariore interpretatione ſancimus, ut quæ per filios, nepotes, pronepotes, itemque filias, neptes, proneptes, quamvis in poteſtate ſint, minime acquiri [patri] decrevimus a marito, vel uxore quocunque titulo collata, ſive ultima tranſmiſſa voluntate: nullus ad id quoque pertinere exiſtimet, quod [20] ab ipſo parente datum, [vel dotis] vel ante nuptias donationis cauſa, pro una ex memoratis perſonis præſtitum fuerat, ut minime ad eum, ſi caſus tulerit, revertatur. Proſpiciendum eſt enim, ne hac injecta formidine, parentum circa liberos munificentia retardetur: ſed ut [21] his poteſtatis jure ad parentes reverſis, cæterarum rerum, quæ ex ſubſtantia ſpeciali conjugis ad ſuperſtitem devenerant, quamvis idem in ſacris [22] ſit, fructu [23] tamen ſolo atque uſu parentibus deputato; dominium ei, qui a conjuge, vel quæ a marito meruit, reſervetur: parente propter emancipationis beneficium, ſi voluerit, ſicut in maternis rebus, vel quæ per eandem lineam veniunt, præmium [24] habituro. Dat. 10. Kalend. Mart. FELICE & TAURO CONSS. 428.

Filiifamilias in lucris nuptialibus liberos ſuos habent heredes. Bald.

3. Iidem AA. Florentio P. P.

QUod [25] ſcitis prioribus continetur, nec a filia, quæ in poteſtate eſt, donationem ante nuptias patri, nec a filio dotem acquiri, eo addito confirmamus, ut [26] defunctis his adhuc in poteſtate patris, ſi liberis extantibus moriantur, ad [27] liberos eorum eædem res jure hereditatis, non ad patres jure peculii tranſmittantur, nec per nepotes avo videlicet adquirendæ. † Sin autem idem nepos ſuperſtitibus tam patre quam avo paterno diem ſuum ſine liberis obierit: eorum dominium quæ ad ipſum ex [28] matre, vel ab ejus linea pervenerint, non ad avum, ſed ad patrem ejus perveniat: uſufructu [29] videlicet in hujusmodi caſibus avo (dum ſupererit) reſervando. Dat. 7. Idus Sept. *Conſtantinop.* THEODOSIO A. XVII. & FESTO CONSS. 439.

De bonis ex matrimonio quæſitis.

4. Impp. LEO & ANTHEMIUS AA. Erythrio P. P.

QUæcunque res ad filium vel filiam, nepotes ſive pronepotes utriusque ſexus in poteſtate conſtitutos, ex priore, vel [30] ſecundo, aut tertio ſeu numeroſiore [31] conjugio [32] pervenerint, ex [33] dote, vel quacunque donatione, ſeu hereditate, vel legato vel fideicommiſſo: earum [34] rerum usque in diem vitæ ſuæ pater, vel avus, vel proavus uſumfructum habeant, easdem res quocunque [35] modo alienandi [36], vel pignoris ſeu hypothecæ jure obligandi, facultate eis penitus interdicta: dominio videlicet earum apud filios & nepotes ſive pronepotes utriusque ſexus permanente, etiamſi ex eodem matrimonio procreati non ſint, ex quo eædem res ad parentes eorum, qui quæve in poteſtate ſunt, fuerint devolutæ: Eo videlicet obſervando, ut morientium fratrum ſororumve portiones, qui quæve ex eodem matrimonio progeniti vel progenitæ ſunt, primo [37] quidem ad liberos [38] eorum (ut dictum eſt) ſi tamen fuerint; deinde his non extantibus ad ſuperſtites tantummodo fratres [39] vel ſorores eorum perveniant, aut ad ſuperſtitem, ſi ex iisdem fratribus aut ſororibus unus unave remanſerit. Omnibus autem qui ex eodem conjugio fuerint procreati, defunctis: tunc demum ad eos qui ex alio [40] ſunt matrimonio editi, easdem res pro virili pervenire ſtatuimus: nulla autem ex memoratis perſonis exiſtente, parentes [41] eorum eas percipere. Parentibus vero quorum ſub poteſtate ſunt, uſumfructum duntaxat habituris, memoratas res jure poteſtatis alienandi vel obligandi licentiam denegamus: non prohibendis iisdem liberis quandocunque ſui juris fuerint, nulla temporali præſcriptione obſiſtente, easdem res omnibus modis vindicare: niſi [42] forte poſtquam poteſtate parentum eos contigerit liberari, tantum [43] temporis effluxerit, ut ex continua & inconcuſſa tenentis poſſeſſione eorum intentio excludatur. Dat. 5. Kalend. Mart. MARTIANO & ZENONE CONSS. 469.

De bonis ex ſponſalibus quæſitis.

Sicut quæſita a marito uxor non adquirit patri, niſi quoad uſumfructum, ſic nec quæſita a ſponſo. Salic.

5. Iidem AA. Nepotiano Magiſtro militum Dalmatiæ.

NOn [44] ſine ratione de negotio quod inter matremfamilias, cujus veſtra ſuggeſtio meminit, & germanum ejus vertitur, magnitudo tua diverſis legibus ex utraque parte prolatis, noſtram credidit conſulendam eſſe clementiam; cum mulier diverſis juris lectionibus idem intelligi maritum, & ſponſum [45] niteretur probare: germanus [autem] mariti nomen illi ſoli, qui nuptias contraxiſſet, ex recitatione conſtitutionis [46] divorum retro Principum Theodoſii & Valentiniani (qua cavetur, quicquid [47] maritus, vel uxor in poteſtate conſtituti invicem ſibi reliquerint, non patri acquiri, ſed ad eorum jus pertinere) imponere. Quamvis ergo ſignificatione [48] nominis maritus vel uxor poſt cœptum matrimonium intelligatur, ex quo videlicet inducta eſt dubietas: attamen quia conſequens eſt ambiguas atque legum diverſis interpretationibus titubantes cauſas benigne [49] atque naturalis juris moderamine temperare: non piget nos in præſenti quoque negotio, de quo ſublimitas tua ſuggeſſit, æquitati convenientem Juliani tantæ exiſtimationis viri atque diſertiſſimi jurisperiti opinionem ſequi: qui quidem de dotali prædio tractatu propoſito, idem jus tam de uxore quam [50]

1 Præmium emancipationis collatæ liberis, id eſt, ut in bonis maternis liberorum parentes ipſi qui liberos ita emanciparunt, dimidiam uſusfructus retinere poſſint, *ut hic.* Præmium idem & eadem præmii ratio eſt in lucris nuptialibus liberorum. *l.* 2. J. *tit. prox.* 2 *l.* 17. *ſupr. de collat.* 3 Id eſt, trientem. *l.* 2. *in fin. l.* 6. §. 3. *infr. tit. prox.* adde Cont. 1. *lect.* 7. ſeu pretium. §. 2. *Inſtit. per quas perſonas cuique:* quaſi diceret, virilem illam portionem uſusfructus, de quo hic agitur, patri cedere, non jure adquiſitionis (nec enim per liberam perſonam quidquam adquiritur) ſed tanquam munus legum, oblatum reverentiæ paternæ. 4 Sacra paterna quid, dixi plenius in *l.* 10. §. 1. *infr. de adopt.* vide *l. ultim. in fin. ſupr. ad SC. Tertyll.* 5 *Synopſ. Baſil. ibid.* 6 Extenſio hujus legis ad pronepotes utriusque ſexus. 7 *Synopſ. ibid. c.* 4. 8 Pater ſecundis nuptiis uſumfructum ſibi quæſitum in rebus filiorum non amittit, *ut hic*, & *Novell.* 22. *c.* 34. 9 *l.* 4. J. *tit. prox.*
10 *Quæ filiisfamilias*, *C. Theod. l.* 8. *tit.* 19. 11 Puta ex caſu dotis, vel donationis propter nuptias, hereditate, legato uxoris, vel mariti. *l.* 1. 2. J. *h. t.* 12 *Lex* 2. *ſupr. tit. prox.* 13 *d. l.* 1. & 2. 14 Ut idem ſit in lucris nuptialibus, quæ liberis in poteſtate poſitis adquiruntur, quod in bonis eorum maternis; utriusque namque generis bonorum proprietas liberis ipſis adquiritur, non patri. 15 Lucra nuptialia liberorum non quæruntur patri. 45. *Eclog.* 4. *cap.* 5. An uſufructu tantum adquiruntur? *l.* 2. *in fin.* J. *h. t.* 16 Patria poteſtas nuptiis non tollitur, nuptiæ ſeu matrimonium non eſt modus tollendæ patriæ poteſtatis. 17 Si proprietatem ſpectes: ſecus, ſi uſumfructum. vide *l.* 12. *ſupr. de collat.* 18 Videtur eſſe pars *legis ultimæ ſupr. de ſponſalib.* 19 Id eſt, præcedentis. 20 Reſtrictio legis ſuperioris qua dictum fuit dotem vel donationem propter nuptias filii filiæve patri non quæri: hic excipitur dos, & donatio propter nuptias a patre profecta, nam utrumque, hoc eſt, & donatio propter nuptias, & dos profectitia, id eſt, a parente filio, & filiæ conſtituta, ſoluto matrimonio ad ipſum patrem, qui dedit revertitur, *ut hic.* Miror ab autore Synopſeos 45. *tit.* 4. *cap.* 6. hoc addi ἐὰν τὸ σύμφωνον οὕτω συμβῇ, ſi ita conventum ſit. Nam hoc ipſo jure ad patrem reverti conſtat, *ut hic. in verbo, revertatur. Proſpiciendum eſt enim &c.* 21 Lucra nuptialia liberorum ſoluto matrimonio, patri non adquiruntur, niſi uſufructu tantum. Quid ſi filium, vel filiam, cui hujusmodi lucri proprietas obvenit, pater emancipare velit, & pro emancipationis præmio, dimidiam ejus proprietatis retinere? non poterit, ſed dimidiam tantum uſusfructus, ut & in bonis maternis liberorum dimidiam uſusfructus retinere poteſt. *l.* 3. *ſupr. tit. prox.* 22 Sacra paterna quid, dixi plenius in *l.* 10. §. 1. *infr. de adoptionib.* 23 Hinc colligunt lucri nuptialis filio vel filiæfamilias delati uſumfructum ad patrem deferri. 24 *l.* 3. *ſupr. tit. prox.* 25 Ex Novella de paternis, & maternis bonis. *tit.* 7. *Eclog. d. l. c.* 7. 26 Lucra nuptialia mortuo eorum proprietario deferuntur hoc ordine: liberis primum defuncti: deinde patri: poſt, avo. Sic tamen, ut cum patri adquiruntur, avus in illis uſumfructum habeat. *Synopſis ibid. cap.* 7. 27 Filiifamilias in lucris nuptialibus liberos ſuos habent heredes, id eſt, ad liberos transferunt ejusmodi bona jure hereditatis potius, quam ad patrem jure peculii. 28 Bona materna eodem ordine deferuntur liberis, patri & avo, quo lucra nuptialia, paulo ante diximus: hoc eſt, liberis primum, deinde patri, poſt avo, ſic ut avus in illis uſumfructum habeat, quoties ea bona patri defuncti adquiruntur. 29 Avus paternus lucri nuptialis filiofamilias ſuo delati uſumfructum habet, maternus proprietatem. 30 Adde *l.* 4. *ſupr. tit. prox.* 31 Nuptiæ ſecundæ, tertiæ, & quartæ, numeroſiores denique permiſſæ. *ut hic.* 32 De bonis quæ ex matrimonio filii adquiruntur. 33 *l.* 11. *ſupr. com. de ſucceſſ.* 34 Lucra nuptialia, vel aliunde liberis adquiſita proprietate liberis ipſis adquiruntur: uſusfructus eorum patri, avo, proavo. 35 Uſufructuarius dominium rei alienare, pignori, aut hypothecæ dare non poteſt. 36 *Verſ. Parentib. infr. h. t. l.* 6. §. 2. *infr. h. t. l.* 2. *ſupr. de bonis maternis: Novell.* 22. *c.* 24. 37 Ad quos, & quo ordine deferantur lucra nuptialia. *l.* 7. *in fin. l.* 8. *ſupr. de ſecund. nuptiis. Nov.* 22. *c.* 26. 38 De liberis. 39 De fratribus & ſororibus conſanguineis tantum & uterinis ſimul. 40 De fratribus conſanguineis tantum & uterinis. 41 De parentibus. 42 *l.* 1. §. *ult.* J. *de annali except.* 43 *Novell.* 22. *c.* 24. 44 *Synopſ. Baſil.* 45. *tit.* 45. §. 7. 45 De bonis quæ ex ſponſalibus filii adquiruntur. 46 *l.* 1. *ſupr. h. t.* 47 Lucra nuptialia liberi in poteſtate poſiti patri non adquirunt. 48 Mariti propria ſignificatione ſponſus: nuptiarum ſponſalia non continentur. 49 In ambiguo pro eo quod benignius eſt judicatur. *l.* 1. *ſupr. de legat. l.* 168. *ff. de reg. jur.* 50 Dotis nomen etiam extenditur ad ſponſæ dotes. *l.* 14. J. *de fideic. lib. l.* 18. 25. *ff. de legib. l.* 11. *ff. de ſerv. præd. ruſtic. l.* 10. *in fin. ff. de reb. dubiis. l.* 3. *ff. de his quæ in teſtament. l.* 42. *ff. de pœnis. l.* 155. §. 2. *l.* 192. §. 1. *ff. de reg. jur.*